



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 112. Nescio quid dicas. v. 70.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

verbo deiectus & superatus est, ad simplicem enim eius interrogationem, quid fecit? quid dixit? quomodo se habuit? audiamus Evangelistam: *negavit coram omnibus dicens: nescio quid dicis, non novi hominem, Iesum sc. Galilæum, vincitum & summo Sacerdoti traditum? quid ais Petre? non clam, sed palam loqueris, coram omnibus assistentibus tam militibus quam civibus, senibus, iuvenibus, nobilibus, ignobilibus viris & mulieribus in atrio versantibus, ministris principum ad prunas sedentibus, quorum aliqui te viderunt cum Iesu conversantem, alii in orto percutientem servum Pontificis. recordare verborum dulcis magistri tui, quibus te unice commonefaciebat, priusquam gallus canter, ter me hac nocte negabis, & non nosti illum Dominum? ubi memoria? ubi zelus tuus & fervor spiritus? ubi animus generosus? vere homo, vere fragilis filius Adæ es ex te, qui & ad vocem mulieris tam graviter, quam miserabiliter cecidisti. quis igitur non timeat & vocem & conversationem periculi tanti, quando maximus Princeps mundi totius & Ecclesiæ Christi deceptus tam misere corruit.*

**D**omine avertisti faciem tuam à Petro Vicario tuo futuro in regimine Ecclesiæ sanctæ Dei, & conturbatus est, ab ancilla Ostiaria: obsecro te, Domine Iesu, respice in me & miserere mei ne conturber ad voces incantantium animas, vel ad speciei aspectum, vel amicitiam & blandientem conversationem, ne te cum Petro negem, aut præcepta tua transgrediar, multorum enim malorum causa est mulier una dempta Maria, quæ, quam mulier prima induxit in nos maledictionem, delevit, & dedit benedictionem.

§. 112. *Nescio quid dicat. v. 70.*

Itane, Petre, nescis quid dicat ancilla? dicit aperte, *Et tu cum Iesu Galilæus eras? Petre nescis Christum Dominum tuum, filium Dei vivi? quem usque huc secutus es cui promissisti ante paucas horas cum eo ire ad mortem, neque scandalizari, etiam si omnes in ipso scandalizati fuerint discipuli, qui extraxisti in eius defensionem, gladium, quo Malchi auriculam abscidisti, in orto, qui gloriosum eum vidisti in monte Thabor & dixisti: faciamus hic tria tabernacula Moysi unum Elie unum & tibi unum, & modo ipsum Iesum & Dominum nescis? quid hoc? itane Mulier te decipit, vel eam times, & veneraris plusquam Dominum talem? cecidisti Petre, agnosce ergo humanæ imbecillitatis specimen, & quam nihil possumus nobis ipsis relictæ. O gratia, gratia Domini nostri Iesu Christi.*

**C**ontremisco Domine ad tanti viri lapsum, & consolor. contremisco in consideratione tanti viri, & consolor quod hæc infirmitas causa & materia fuerit Petro sese humiliandi magis & contemnen di seipsum, & gratiam Dei, liberique arbitrii infirmitatem agnoscendi & solidius ad Deum se convertendi, Deum intensius amandi & adhaerendi, eique fidelius serviendi, se  
ipsum



ipsum studiosius observandi, ac diligentius invigilandi salutis suae: sint & mea gravia peccata & multiplicia, obsecro Domine, mihi materia & causa me humiliandi Indies magis magisque contemnendi me, & poenitendo continuo, me convertendi & tibi adherendi in omnem aeternitatem.

§. 113. *Exeunte autem illo ianuam vidit eum alia ancilla, v. 71.*

Bone Deus! quanta remora est mulier? Petrus volebat fugere occasionem peccandi & relabendi, ideo malam societatem relinquit, rediens ad mentem & cupit desistere semel commissum peccatum suae negationis, eumque in finem excedit ex atrio summi Pontificis, & ecce videt eum alia ancilla, & iterum tenetur & terretur Petrus solo visu ancillae, & compellitur ad negandum Christum Dominum suum denuo praeter timore, angustia & confusione mentis. O felix qui in tempore potest declinare a malo & fugere malas societates, maxime mulierum procacium, quam magnum fugit & animae & corporis detrimentum: si enim Petrus abscondere se potuisset, ne visus fuisset ab ancillis, utique in tantum periculum animae non incidisset, non enim toties curiosius interrogatus fuisset, unde nec aniam respondendi habuisset.

**O** Domine Iesu quid dicam recogitando fragilitatem humanam in Petro! rogo humillime da illam gratiam mihi & omnibus qui se saeculo abdicarunt, & abdicare vi sui ordinis aut professionis tenentur, ut nunquam inveniar in societate malorum maxime mulierum, ne occasio & mihi detur te negandi, si non directe saltem indirecte per peccata, quae in similitudinem conversatione & familiaritate occurrere solent & irrepunt etiam non advertenti,

§. 114. *Et ait his qui erant ibi, v. 71.*

Vide nequitiam mulieris non poterat ancilla se continere quin Petrum proderet, non clam sed aperte: ait enim his qui erant ibi in atrio scilicet militibus & ministris principum Iudaeorum quasi increpando illos de incuria & simplicitate, eo quod tolerarent in atrio & apud se discipulum & familiarem eius qui captus esset, insinuans eundem oportere similiter vinculis coerceri, ut exploratorum captivum detineri & tradi principibus ligatum.

**D**omine Iesu quam mundus plenus est laqueis, insinuans eundem oportere similiter vinculis coerceri, ut exploratorem! dum Petrus cupit vitare Charybdim, incidit in Scyllam, dum cupit fugere occasionem ulterius peccandi, ecce alia remora, vidit eum alia ancilla, accusat eum & prodit apud milites & cohortem Principum in atrio, ita ut perterritus Petrus iterum disponatur ad negandum te, bone Deus, quis hos laqueos effugiet? nisi qui spretis omnibus mundi, te nudum Christum nudus sequetur in humilitate, & patientia, abstractus ab omni mundana conversatione. Precor hanc